EPISTOLA
NICOLAI SCHOW

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPEM

STEPHANUM BORGIAM

S. R. E. CARDINALEM PRESBYTERUM

IN QUA

NUMUS ULPIAE PAUTALIAE

INEDITUS

EX MUSEO BORGIANO VELITRIS

ILLUSTRATUR



ROMAE
APUD ANTONIUM FULGONIUM
CIϽ IϽCC LXXXIX

PRAESIDUM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME

PRINCEPS

Temere forſan & audacter, CARDINALIS EMINENTISSIME, a me factum eſſe videbitur, quod in hac epiſtola, qua gaudii mei grataeque in Te mentis publicum aliquod monumentum exſtare voluerim, argumen-

A 2 tum,

Digitized by Google

tum, quod Tuum eſt, & in quo ego vix tirocinia poſui, mihi pertractandum ſelegerim; cognoſco autem ſummam animi Tui indulgentiam, qua ob bonam voluntatem, quam forte in me indagaveris, benignam, ut ſpero, audaciae huic daturus es veniam. Pro munificentiſſimo Tuo patrocinio, cuius ſubſidiis haud exiguos in litterarum ſtudiis progreſſus facere mihi forte quadam benigniori obtigit, debitas Tibi perſolvo gratias; nec aliud mihi hac ſcriptiuncula conſilium propoſitum eſt, quam omnibus palam ac publice fateri, me non ſolum humanitati Tuae ac benevolentiae, verum & ſummae eruditioni Tuae, mentiſque perſpicaciae, quibus me errantem ſaepius ad veriora duxiſti, multa & quam plurima debere. Accipe igitur, BORGIA DOCTISSIME, libellum, quem Tibi obfero, ut obſervantiae pignus, ſimulque perſuaſus eſto ingentia Tua de me & ſtudiis meis merita menti meae infixa haerere, nulla unquam, quoad vivam, oblivione delenda: homo enim, quo aetate magis magiſque matureſcit, quid benefactori, quid amico debeat, diligentius exputat, pietatemque religioſius veneratur & colit. Tuas laudes, PRINCEPS EMINENTISSIME, Tuaque in me beneficia prolixe memorare, & mihi oneroſum, Tibique [nam indolem Tuam hac in re cognoſcere mihi contigit] ſummopere ingratum foret; quicquid enim agis, ſolo virtutis ac probitatis amore agis, nec publicae laudationis cauſſa, cuius invidiam optimus quiſque, quantum fieri poteſt, vitare ac fugere conatur. Nec virtus Tua, in conſpicuo ac ſublimi loco poſita, quam omnes probi & agnoſcunt, & admirantur, longo indiget praeconio; me quoque, omni a natura facundiae dote deſtitutum, ad virtutis ac ſapientiae Tuae laudes digne praedicandas ineptum

profi-

profiteor; virtutem enim, ubicumque ea fuerit, tacite amplecti & admirari ſoleo. Dum igitur in muſeo Tuo, CARDINALIS DOCTISSIME, quod non modo Velitrarum, ſed & totius Italiae ornamentum dici poteſt, quodque nuper inſigni ac memorabili illo monumento Aegyptio, cuius anaglyphorum partem Niebuhrius, v. ill. itiner. tom.I. tab. 32. 34. exhibuit, decoratum eſt: dum, inquam, in hoc cimelio celebri monumentum aliquod quaero, quod & brevitati epiſtolae conveniens eſſet, Teque dignum, aliiſque novum ac utile, forte numus *Ulpiae Pautaliae* obvenit, tempore Caracallae procuſus, & ineditus, cuius averſae typus multum memorabilis eſt: inſignis huius numi deſcriptionem brevi meae illuſtrationi praemittam (*).

(*) Numophylacium muſei Borgiani Velitris ditiſſimum eſt, & in ſequentes claſſes diſtributum. conſiſtit nempe:

I. Aſſibus antiquiſſimis. [Collectio completa & inſignis].

II. Numis regum, populorum & urbium autonomis.

III. Numis Graecis imperatoriis. [In hac claſſe comprehenditur inſignis ſeries numorum in Aegypto ſub imperatoribus procuſorum, digna utique, quae ab eruditiſſimo Zoëga illuſtraretur in egregio ſuo opere: *Numi Aegyptii imperatorii prostantes in museo Borgiano Velitris*. *Romae* 1788. 4.].

IV. Numis Latinis imperatoriis.

V. Numis Samaritanis. [Hi mox in publicum prodibunt doctis reverendiſſimi ac eruditiſſimi theologi Caſanatenſis p. Gabrielis Fabricy commentariis illuſtrati].

VI. Numis Cuficis. [Horum maxima pars illuſtrata eſt a cl. Adlero in eleganti ac erudito libro: *Museum Cuficum Borgianum Velitris*. *Romae* 1782. 4. Poſtea vero praeclara haec collectio inſigniter adaucta eſt, continuiſque acceſſionibus locupletata].

VII. Numis urbium Italicarum medio aevo percuſſis.

VIII. Numis variarum Aſiae & Africae gentium.

Num. aer. primi mod.

Ant. p. ΑΥΤ Κ Μ ΑΥΡΗΛ ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. Caput Caracallae laureatum, cum barba & pectore nudo.

Ave. p. ΟΥΛΠΙΑϹ ΠΑΥΤΑΛΙΑϹ. Femina decumbens, ad umbilicum uſque nuda, cuius capilli nodo revincti ſunt; cubito ſiniſtro urnae, unde aquae promanant, innititur; s. vitem, cuius racemi capiti ſupereminent, tenet, dextra vero colliculo vicino, de quo Genius, onus quoddam humeris geſtans, deſcendere videtur, impoſita eſt, ſupra colliculum inſcriptum eſt: ΑΡΓΥΡΟϹ. Iuxta dextrum feminae brachium Genius, ſummo colliculi faſtigio inſiſtens, racemum ante faciem feminae pendentem decerpit; a tergo ſcriptum eſt: ΒΟΤΡΥ. Aquae ex urna profluenti Genius adſidet, manibus verſus aquam protenſis, a tergo legitur: ΧΡΥϹΟϹ. In exergo Genius d. falcem meſſoriam, qua fruges demeſſurus videtur, gerit; ante ipſum quatuor ariſtae, a tergo quinque, cum epigraphe: ϹΤΑΧΥ.

Numi *Ulpiae Pautaliae*, qui ad noſtra uſque tempora pervenerunt, incipiunt, ut noſti, PRINCEPS EMINENTISSIME, in Hadriano, & ad Elagabalum uſque deſcendunt; hinc ſummae raritatis exiſtimandus eſt numus Ulpiae Pautaliae, caput Elagabali laureatum exhibens [ſi modo Elagabali ſit, nec potius Caracallae] quem cl. Neumannus in *numis popp. & regg. vett. inedd. part.* 1. *p.* 130., primus in lucem protulit. Omnibus hiſce numis ΟΥΛΠΙΑϹ ΠΑΥΤΑΛΙΑϹ vel ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ inſcribitur, adiuncto interdum provinciae rectoris nomine. Ex typis vero perſpicitur,

citur, Pautaliotas non modo univerſam Graecorum religionem amplexos eſſe, verum & antiqua Thracum numina retinuiſſe; Cybele enim leone vecta [qualis hodie ex marmore in villa Pamphiliana cernitur], Dionyſius quoque, aliaque myſticae Thracum religionis ſymbola ſaepius in numis ipſorum occurrunt: praecipua tamen religione Aeſculapium, eiuſque ſocios Hygiam, & Teleſphorum coluiſſe videntur, haec enim numina ceteris frequentiora ſunt. Saepius etiam averſae partis typi, ut in noſtro numo, ſitum urbis atque ſoli foecunditatem indigitant: in numis M. Aurelii, & Sept. Severi Fluvii decumbentes conſpiciuntur; in illo quidem cum arundine & oleae ramo, in hoc cum cornucopiae & urna: in aliis porro aut caniſtrum frugibus plenum, aut uvae racemus, aliaque ubertatis ſigna obveniunt.

Exiguam ac fere nullam Ulpiae Pautaliae mentionem faciunt geographi antiquiores; ex paucis tamen, quae habemus, teſtimoniis apparet, urbem hanc in occidentali Thraciae parte Haemum verſus, & quidem in Danthcletarum praefectura collocandam eſſe. Dantheletae a Strabone inter gentes Thraciae praedatorias referuntur, eorumque ſitus [lib. VII. pag. 490. ed. Amſtel. ubi de Illyride agit] ita deſcribitur: Μετὰ τὴν τῶν Σκορδίσκων χώραν παρὰ μὲν τὸν Ἴστρον ἡ τῶν Τριβαλλῶν καὶ Μυσῶν ἐστὶν, καὶ τὰ ἕλη τὰ τῆς μικρᾶς καλουμένης Σκυθίας τῆς ἐντὸς Ἴστρου — Ὑπεροικοῦσι δ᾽ οὗτοί τε καὶ Κρόβυζοι καὶ οἱ Τρωγλοδύται λεγόμενοι τῶν περὶ Κάλατιν καὶ Τομαίαν καὶ Ἴστρον τόπων· ἔνθ᾽ οἱ περὶ τὸν Αἶμον, καὶ οἱ ὑπ᾽ αὐτῶν οἰκοῦντες μέχρι τοῦ Πόντου Κοράλλοι καὶ Βέσσοι καὶ Μεδῶν τινες καὶ Δανθηλητῶν· πάντα μὲν οὖν ταῦτα ληστρικώτατα ἔθνη. *Scordiſcorum regioni Iſtro flumini contiguae Triballorum & Myſorum vicina eſt una cum paludibus Scythiae, quam parvam vocant, quaeque intra*

Iſtrum ſita eſt : hi una cum Crobyzis & Troglodytis ſic dictis ſupra Calatin & Tomaeam, & Iſtrum habitant. Deinde ii, qui circa Haemum ſunt, quique ſub illis habitant ad Pontum uſque Coralli, Beſſi, Medorum nonnulli & Dantheletarum : omnes hae gentes praedatoriae ſunt. Dantheletae igitur infra Iſtrum haud procul ab Haemo monte Pontum Euxinum verſus habitabant, quòd Ptolemaeus quoque geogr. lib. III. pag. 80. confirmat, dum regionis ſitum ita definit : Ἐν τῇ Προποντίδι. Πρὸς μὲν ταῖς Μυσίαις καὶ τὸν Αἷμον τὸ ὄρος, ἀρχομένοις ἀπὸ δυσμῶν. Δανθηλητικὴ, Σαρδικὴ, Ουσδικησικὴ, Σελλητικὴ [στρατηγίαι ſc.] Πόλεις δὲ εἰσὶ μεσόγειοι τῆς Θράκης· Πρασίδιον, Νικόπολις περὶ Αἷμον, aliaeque. Tandem : Παυταλία, Νικόπολις ἡ περὶ Νέσον [vel potius : Νέστον] & rel. Ex aliis praeterea fontibus in *veteribus Romanorum itinerariis ad Hieroclem Synecdemum* ed. Amſtel. pag. 654. viri docti Pautaliae ſitum demonſtrarunt : ex quibus omnibus ſatis eluceſcit, ſitum Ulpiae Pautaliae in angulo, qui Haemi ac Orbeli montium occurſu efficitur, conſtituendum eſſe ; ita quidem, ut meridiem verſus Orbelo, ſeptentrionem vero & occidentem Haemo circumſcripta ſit atque incluſa, ipſae fluvii Srrymonis ſcaturigini, quae procul dubio ad Orbeli radices oritur, vicina.

Apud Stephanum *de urbibus & populis* Dantheletae vocantur Δανθαλῆται, quod ſcripturae vitium eſt ; quemadmodum & apud eumdem Παυταλία & Παυταλιώτης, ordo enim alphabeticus, iuxta quem hae compilationes digeſtae ſunt, oſtendit in antiquis mss. lectum fuiſſe Παυταλία & Παυταλιώτης, quod & Cellarius geogr. antiq. tom. I. pag. 1079. bene animadvertit.

Nec ullus dubito, BORGIA EMINENTISSIME, quin *Pantalia in Paeonia*, cuius numum Pellerinius [*Recueil de*

de medailles tom. I. pag. 190. pl. XXXIII.] edidit, eadem ſit ac *Ulpia Pautalia*, de qua hic agimus, quaeque temporum viciſſitudine ſub imperatoribus & ſuum nomen, nomenque provinciae immutaſſe videtur: numus nempe a Pellerinio publicatus, ut noſti, ab una parte caput iuvenile laureatum, ab altera caput bovis cum colli parte ſiſtit, una cum epigraphe: ΠΑΝΤΑΛΕΩ ΕΝ ΠΑΙΩ, *Pantaleotarum in Paeonia*. Suſpicaretur forſan aliquis hanc mutationem a tempore Philippi & Alexandri inde deducendam eſſe, de quibus quidem certo conſtat, quod regni ipſorum finis boream verſus ad Neſtum uſque fluvium dilataverint; Strabo enim lib. VII. pag. 323. ait: Τίνες δὲ καὶ τὴν ἀπὸ Στρυμόνος μέχρι Νέστου τῇ Μακεδονίᾳ προσνέμουσιν, ἐπειδὴ Φίλιππος ἐσπούδασε διαφερόντως περὶ ταῦτα τὰ χωρία, ὥστε ἐξιδιώσασθαι· καὶ συνεστήσατο προσόδους μεγίστας ἐκ τῶν μετάλλων καὶ τῆς ἄλλης εὐφυΐας τῶν τόπων. *Quidam etiam regionem, quae a Strymone ad Neſtum uſque ſe extendit, Macedoniae aſſignant; Philippus enim hanc regionem ditioni ſuae adiicere omni opera ſtuduit, redituſque ingentes ex metallis, & reliqua locorum ubertate ſibi fecit*. Deinde: Τὸ Νέστου στόμα, τοῦ διορίζοντος Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην, ὡς Φίλιππος καὶ Ἀλέξανδρος, ὁ τούτου παῖς, διώριζον ἐν τοῖς κατ' αὐτοὺς χρόνοις. *Neſtus, qui Macedoniam a Thracia diſterminat; prout nempe Philippus & Alexander filius, dum vivebant, terminos Macedoniae conſtituerant*. Antiquam praeterea Paeoniam, ſi quis geographos veteres conſuluerit, cum Danthelctarum praefectura, in qua Ulpiam Pautaliam collocandam eſſe ſupra monuimus, quod ſitum & indolem regionis attinet, omnino congruere deprehendet; videntur igitur Pautaliotae, amore gentis ac patriae adducti, ne originis ipſorum memoria deleretur, urbis nomini antiquum provinciae nomen adiunxiſſe.

Urbs

Urbs Pautaliotarum nomen *Ulpiae* ſibi adſcivit, ut videtur, ex praenomine Ulpii Traiani imperatoris; quemadmodum poſtea multae urbes *Aeliae* nomen ab imperatore Aelio Hadriano adſumpſere: & quidem, ut ſuſpicor, in memoriam beneficiorum, quae Traianus in hanc urbem eiuſque cives erogaverit. Aliarum quoque urbium, quae tempore Traiani clementiae ac benignitatis imperatoriae ergo *Ulpiae* nomen ſibi adoptarunt, Salmaſius *de praeſtantia & uſu numiſm. antiqq.* tom.I. pag.219. ſeriem nobis exhibet.

Figura decumbens quaenam ſit, quidve ſignificet, iam diſquirendum eſt; fatendum vero eſt, figuram in numo aliquantulum vetuſtate detritam eſſe, nec, ad quem ſexum pertineat, evidenter cognoſci; ex capillorum tamen ligatura atque accomodatione ſexum femineum certiorem eſſe duxi. Quod ſi igitur femina ſit, duplicem, ut puto, explicationem admittit; aut enim eſt Genius urbis, qui Strymonis fontibus vicinus urnae fontium proiectae s. brachio incumbit; aut Nympha, quae Strymonis fontibus praeſidet: at contra hanc opinionem merito mihi obiicias, BORGIA EMINENTISSIME, monumenta antiqua & numos, in quibus numen fontium tutelare non femina eſt, ſed homo barbatus, ut in Veliterno muſei Tui Nympharum anaglypho, quod in eruditorum aſpectum aeri inciſum cura Tua propediem prodibit, & in inſigni numo aereo muſei Taniniani, qui max. mod. eſt, & in cuius ant. p. caput Traiani laureatum ſiſtitur cum epigraphe paullulum detrita: .... IANO AVG GER DAC..... PP. In averſa homo barbatus [qualem in ſpelunca, hodie vulgo Egeriae dicta, & in agro Romano haud procul a moenibus urbis diſſita, cernimus] in antro fontis decumbens, & ad inguem nudus, s. cubito

to urnae innititur, d. arundinem tenet : extra ſpeluncam aquarum ſcaturigo conſpicitur, ſub qua ſcriptum legitur : AQVA TRAIANA : ab utraque inſcriptionis parte litterae : S C. Supra ſpeluncam : S P Q R OPTIMO PRINCIPI. Si igitur poſteriorem explicationem reiicias, cedere cogor; nulla enim, quae pro me facerent, exempla in promptu habeo. Si quis vero figuram in noſtro numo decumbentem pro iuvene imberbi habuerit [pectus enim ad umbilicum uſque plus habet virilis quam feminei] Strymon ipſe ſymbolice ſignificetur neceſſe eſt, impugnaturque hoc exemplo eorum antiquariorum ſententia, qui aſſerunt, fluviis in mare labentibus barbam ab antiquis tribui, eos autem, qui in alios amnes promanant, imberbes repraeſentari, Winckelman. monn. inedd. pag. 52. Quantum quidem hoc aſſertum de Fluviis in numis antiquorum occurrentibus valeat, ſtatuere nequeo, nondum enim hanc in rem ſatis attentus fui; &, ſi quae forte invenerim exempla, eidem potius favere quam contraria eſſe videntur : ſic nempe duo Hanniballiani numi, in muſeo Taniniano proſtantes, in averſa imberbem ſiſtunt Fluvium, d. timonem s. arundinem tenentem, urna, unde aquae profluunt, dextro lateri adiecta, cum epigraphe : SECVRITAS PVBLICA. Hic Fluvius procul dubio Euphrates eſt, & alluditur ad pacem Armeniae reſtitutam, diſcordiaſque inteſtinas Hanniballiani regis ope compoſitas, ut etiam opinatur cl. abb. Taninius, a quo mox inſignia ad Bandurium ſupplementa habebimus. Huc quoque pertinet celeberrimus ac unicus ille numus eiuſdem muſei, cuius prima pars caput Lucii Veri laurea redimitum exhibet [hoc capite reſpectu artis nil concinnius ac elegantius conſpicitur, ac ne quidem cogitari poteſt] cum inſcriptione : L VERVS

AVG ARM PARTH MAX. In averſa M. Aurelius & L. Verus ſtantes conſpiciuntur; ille Tigrim, hic Euphratem conculcat; ambo a Victoria coronantur, in medio captivus flexis genibus, manibuſque a tergo revinctis: Tigris barbatus eſt, Euphrates imberbis. Inſcriptum eſt: TR P XV IMP III COS II. Plura huius moris exempla Winckelmannus in monn. inedd. pag. 49. ex numorum typis congeſſit. Marſyae denique amni, qui prope Apameam in Maeandrum profluit, in inſigni villae Burgheſiae, *Pinciana* vulgo nuncupatae, anaglyptico opere, quod Winckelmannus in monn. inedd. tab. 42. edidit, eadem iuventus tribuitur: obiter tantum moneo, quod Marſyae, qui in tab. Winckelman. ad pinum ſuſpenſus cernitur, in ipſo monumento, quod ſaepius ac diligenter intuitus ſum, ne umbra quidem exiſtat, de pino autem pellis detracta dependeat; hanc diverſitatem, quoniam in ipſam monumenti interpretationem influit, neminem ignorare volui, immortali enim defuncti hominis laudi detrahere a me longiſſime abſit. Hactenus de numis; in aliis vero antiquitatis monumentis morem hunc vagum eſſe ac inſtabilem animadverti: exemplo ſint duo coelata opera, quae in villa Burgheſia, omnium conſpectui propoſita ſunt, quorum etiam Winckelmannus monn. inedd. tab. 43. unum publici iuris fecit, alterum adhuc ineditum eſt; ambo quidem ad unum idemque exemplar ſeriori aetate facta & elaborata: in illo quidem Eridanus, qui in mare Adriaticum provolvitur, nec cum alio flumine miſcetur, iuvenilis eſt & imberbis [nec de capite, quin genuinum ſit, dubitandum eſt, ipſe enim hanc in rem diligenter inquiſivi]; in hoc vero idem Fluvius barbatus eſt.

Auri

Auri & argenti fodinas in vicinia Pautaliae fuiſſe, Genii in numo noſtro cum epigr. : ΑΡΓΥΡΟϹ & ΧΡΥϹΟϹ indicant ; quod & Strabo lib. VII. pag. 331. teſtimonio comprobat, dum ait : Πλεῖστα μέταλλά ἐστιν χρυσοῦ ἐν ταῖς Κρηνίσιν, ὅπου νῦν οἱ Φίλιπποι πόλις ἵδρυται, πλησίον τοῦ Παγγαίου ὄρους· καὶ αὐτὸ δὴ τὸ Παγγαῖον ὄρος χρύσεια καὶ ἀργύρεια ἔχει μέταλλα, καὶ ἡ πέραν καὶ ἡ ἐντὸς τοῦ Στρύμονος ποταμοῦ μέχρι Παιονίας· φασὶν δὲ καὶ τοὺς τὴν Παιονίαν γῆν ἀροῦντας εὑρίσκειν χρυσοῦ τινα μόρια. *Iuxta Crenidas prope Pangaeum montem, ubi hodie urbs Philippi ſita eſt, quam plurimae ſunt auri fodinae; ipſe etiam Pangaeus aureas & argenteas habet fodinas, regioque extra & intra Strymonem fluvium ſita ad Paeoniam uſque; narrant quoque, Paeoniae incolas, dum terram aratro verſant, quaſdam auri particulas invenire.* Solita vini culturae frugumque abundantiae ſymbola ſunt vitis & ariſtae; memorabile vero eſt, hiſce ſymbolis verba quoque adiungi ipſam rerum imaginem explicantia : ΒΟΤΡΥ & ϹΤΑΧΥ.

Exiſtunt praeterea, ut noſti, PRINCEPS EMINENTISSIME, in eodem Tuo muſeo duo aerei eiuſdem coloniae numi, quorum, cum rei numariae ſtudioſorum interſint, deſcriptionem adiungam : *unus* in anteriori parte caput *Septimii Severi* exhibet ; epigraphes fere detritae ſuperſunt litterae : ... ϹΕΠ ... In averſa legitur : ΟΥΛΠΙΑϹ ΠΑΥΤΑΛΙΑϹ. In medio ara, quam arbor obumbrat ; arae tutulatum aliquod, ovo bipartito ſimile, impoſitum eſt ; circa aram ſerpens in gyros volvitur, capite deſuper erecto, ad pedes arae caudae extremitas obſervatur : videtur ſerpens caput in vaſculum quoddam demittere, quod arae ex altera parte adpoſitum eſt ; ipſum autem vaſculum paullo obſcurius eſt. In *altero* caput Caracallae diadematum conſpicitur ; inſcriptum eſt : ΑΥΤ. Κ. Μ

ΑΥΡΗ..

ΑΥΡΗ .... In averſa Mercurius ſtans, pedi dextro gallus adſtat, ex s. brachio pannulus dependet, d. marſupium s. caduceum tenet, cum epigraphe : ΟΥΑΠΙΑΣ ΠΑΥΥΑΛΙΑΣ.

Cur hanc epiſtolam, BORGIA EMINENTISSIME, ad Te ſcripſerim, ſupra monui; cognoſcis enim & ipſe indolis meae ſimplicitatem ab omni adulatione & fingendi arte alienam. Vehementiores quoque animi mei impetus ſequi coactus fui; nam ſummum illud gaudium, quod non ego ſolus, ſed orbis litteratus mecum ex Tua promotione percepit, diutius reprimere non potui, gratumque in Te ob beneficia accepta animum publice teſtari etiam atque etiam optavi; ſedulo igitur occaſionem quaeſivi, oblatamque avide arripui. Neceſſe enim eſt, CARDINALIS EMINENTISSIME, ut omnes, qui virtutem Tuam, Tuaque merita cognoſcunt, cum Te ſacra purpura decoratum viderint, gaudio exſultent, ſummamque Optimo Pontifici PIO SEXTO ſalutem adprecentur ac felicitatem, qui indefeſſa Tua ſtudia digno praemio coronavit; eoque ipſo & aliis veſtigia Tua prementibus, ad ſummas dignitates novas ſpes animoſque addidit. Diu igitur ac laete, PRINCEPS EMINENTISSIME, Tua dignitate fruaris in gloriam Eccleſiae, cuius commodis pie ac fideliter inſerviſti, inque emolumentum litterarum, quas aſſidue coluiſti & colis, quarumque ſtudio nomen immortale conſecutus es: ne deſinas unquam ſcientias, earumque cultores colere ac tueri; nulla enim gloria magis duratura eſt, quam ea, quae hoc pacto Tibi parta eſt, & acquiſita. Tuam denique, CARDINALIS DOCTISSIME, in me benignitatem diligentia, & aſſiduitate, quas in me ſemper & inveniſti, & probaſti, in poſterum

rum mereri conabor; nullaque unquam maiora mihi ad virtutem & laudem incitamenta erunt, quam Tuus favor, Tuaque benevolentia.

Scrib. Romae d. v. kal. maii MDCCLXXXIX.

22. 245224

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Franc. Xav. Paſſari Archiep. Lariſs. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google